

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 9768

1485

P O L E M I C I.

1486

*prelo dari curavi hic Romae anno 1696. Demum, concluditur, publicae luci commisi anno 1697. quosdam alios Libros exiguos, quorum non auctor, sed exscriptor fui, veluti Meditationum S. Anselmi, itemque Orationum ejusdem cum quibusdam observationibus meis: ac praeterea Libellos quatuor de Imitatione Christi, sive de Contemptu Mundi, quibus praemisi Apologiam pro Joanne Gersen Abbatte, ueluti germano illorum Auctore, contra Recentiores quosdam, Anti — Arianismum, sex Tractatus contra recentes Arianos et Socinianos, Lugduni sub prelo, Anno Santo, Meditaciones para todos los dias del Año sacadas de los Evangelios corrientes, Romae sub prelo. Postremum clausula: Omnia sub correctione S. R. E. et si forte aliquid excidit contra aliquem, atque erratum qualitercumque fuit (quod ignoror) penitus indelatum esto, et melius sentientium judicio submitto. Josephus S. R. E. Card. de Aguirre; quae pariter in Editis non habetur. Nihil de hac Popularis sui *Laciniæ* Editores novi *Bibliothecæ Hisp. Matriti* 1783. qui tamen in *Monito* prævio ei jam pridem augendæ et corrigendæ operam dedisse crepantur. Si Catalogum *Bibliothecæ* Card. Jos. Ren. *Imperialis* Romæ 1711. f. excusum inspexissent, deprehendissent eam p. 7. typis editam *Romae* sine loco et anno in fol. Deprehendit vero solertissimus *Adelungius*, ut habes lit. A: *Suppl. Jöcher.* Ut quid igitur, si typis edita est, hic pa-*

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

ginam implet? Quia nunquam in Bibliopolio publice veniisse, sed ab *Aguirri* heredibus distributam solummodo inter amicos, atque ideo rarissimam autem; neque tam dicere habeo, utrum Exemplar nostrum e chartis Defuncti, aut e typis descriptum fuerit.

DCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. X-R. 24* VIII. Folior. 237. f. continet sequentia Scripta infelicis Mich. Serveti, seu, ut se ipsum ἀναγεμματινῶς compellavit, de Reves Aragonis Villanova post varios casus a. 1553. Genevae, agente cum primis Job. Calvinio, flammis traditi e typo expressis Exemplaribus misera industria desumpta. I. quidem Libros VIII. de Trinitatis Erroribus, quorum Editio annum praefert 1531. et, ut communior est opinio, Hagenoae lucem vedit in 8. II. Libros II. Dialogorum de Trinitate. III. De Justitia Regni Christi ad Justitiam Legis collata, et de Charitate Capita IV. Et haec quoque praefixo anno 1532. Hagenoae in 8. simul impressa censentur. Ceterum notiora sunt omnia obscurissimi hujus Doctoris Eruditis, quam ut pluribus hic agere opus sit post Sandium, Niceronum, Vogtium, Reimannum, et praecipue Mosheimum.

DCXL.

Codex chartaceus lat. Sec. X-R. 837 VIII. Folior. 248. f. est Corpus Aa Con-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 9768

1487

C O D I C E S

1488

Controversiarum, quae inter Catholicos et Protestantes vertuntur, dicatum a. 1730. *Elisabethae Archid. Austr.* pro fratre Carolo VI. Imp. *Belgium* gubernanti ab *Stephano Amiodt* e S. J. qui ei a sacris confessionibus fuerat, et ab ejus morte *Viennam* redux octogenario major a. demum 1759. decepsit, postquam ibidem jam olim *Exercitationes theatrales* 1709. *Germaniam veterem selectis quaestioneibus illustratam* 1712. et *Germaniam in Naturae operibus admirandam* 1713. 12. juvēnis vulgas set. Praesens porro Opus in *Partes* tribuitur II. quarum prior inscribitur: *De praetenitis Novitatibus et Abusibus Ecclesiae Romanae Catholicae*, altera: *Novitates, Abusus et Errorres Ecclesiae Lutheranae*. Quaelibet XI. *Capitibus* definitur, quae in plures vel pauciores §§. pro ubertate materiae abeunt. Ratio tractandi haec est, ut quovis §. *Parte* quidem I. *Accusatio*, *Parte* vero II. *Thesis* acatholica proponatur; hanc autem *Animadversio Catholica* excipiat. Opus eruditum, solidum et ita plenum est, ut non facile quidpiam eorum, quae in disceptationem venire solent, non discussum desideres. Nec te moveat, Librum Virginis latine scribi; hac enim lingua, ut verbis *Franc. Wagneri* nequaquam Feminis Principibus adulari soliti c. 1. de *Elisabethae Vita et Virtutibus*, Vien. 1746. p. 11. 8. dicam, non minus ac vir his literis innutritus cafigata utebatur. Voluerat id Augusta Mater, ut eam puellula adriperet tan-

quam ad alias linguis condiscendas per quam utilem. Igitur et postea, dum *Belgium* pro Fratre curaret, cum Confessario et Medico suo non nisi latine loquebatur, minime, ut addit *Wagnerus* p. 12. imitata vanos quosdam homines, qui, quod ignorant, sphenentes Clericorum duntaxat hanc linguam existimant. Praesentis Operis bina praeterea Exempla sub NN. 1158—59. in Bibliotheca Palat. prostant.

DCXLII.

Codex seu potius Collectio R. 1146 Voluminibus XV. 4. constans, quondam *Stephani Amiodt* S. J. Presbyteri, qui *Elisabethae Archid. Belgium*, ut Cod. praeced. dixi, gubernanti per 20. annos a sacris Confessionibus fuit *Bruxellis*, plurima complectitur ad omnem Theologiam, Jus canonicum, Politicam, Historiam praincipue ecclesiasticam, turbasque ineunte Seculo nostro ob *Jansenii* doctrinam et Constitutionem *Unigenitus* in *Belgis* motas, quorum longum foret, Catalogum hic texere. Indicasse sufficiat earum Controversiarum Studiosis, cumque in pluribus horum *Voluminum* Manuscriptis passim Impressa misceantur, ea etiam in Catalogum Librorum Impressorum Bibliothecae Palatinae relata norint.

DCXLIII.

Codex chartaceus lat. belg. Sec. R. 630 XVII. Folior. 35. 4. est *Demonstratio*